

Nicolaus Schütze Joachim Lussow

## **Disputatio Inauguralis Continens Centuriam Positionum Iuridicarum De Dotibus**

Rostochi[i]: Pedanus, 1635

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731644204>**

Druck Freier  Zugang



Depl.

Mitgift

R. N. j. 1635.

Schütte-Lusow.

Vert.

1c





DISPUTATIO INAUGVRALIS

Continens

Centuriam Positionum Juridicarum

114

De

DOTIBUS.

Quam

D. O. M. A.

Ex decreto & consensu Nobilissimi & Amplif-  
simi Jurisconsultorum Collegij in  
Academia Rostochiensis

PRÆSIDE

Viro Amplissimo & Consultissimo

DN.

NICOLAO SCHUTTEN,  
Jct. eximio Professore Codicis Publico  
& p.t. Facultatis Juridicæ Decano

spectabili.

Pro summis in utroq; jure honoribus & privilegiis consequendis  
publicè ventrandam proponit

JOACHIMUS Eusow. Rostoch.

In Auditorio Majori,

Ad diem 23. Julij horis ante & pomeridianis.

ROSTOCHI,

Litteris Viduæ JOACHIMI PEDANI Acad Typogr.

ANNO M. DC. XXXV.

1635



Nobilissimo & Incluto Ordini Senatorio  
Inclutæ Reipub. Rostochiensis.

VIRIS.

*Magnificis Consultissimis Amplissimis Prudentissimis*

Dn. MARCO Zancken.	} Consulibus
Dn. JOHANNI Luttermann.	
Dn. BERNHARDO Klingen.	
Dn. NICOLAO Scharffenberg/ J. U. D.	
Dn. JOHANNI Sibrandt/ J. U. D.	} Syndicis
Dn. ANTONIO Woltreich/ J. U. D.	

*Nec non*

Reliquis Dn. Senatoribus, Patriæ Patribus vigilantissimis  
Promotoribus & fautoribus meis æternum  
honorandis.S.

**A**nnus jam agitur quartus Viri Magnifici Amplissimi  
Consultissimi Prudentissimi cum ex Academia Witeber-  
gensi disputationem vestro nomini consecratam vobis transmit-  
terem, jam denuo presentes hæc, de dotibus, theses Inaugurales  
vobis studiorum meorum Macenatibus offerre & inscribere vo-  
lui. Rationes quæ me impulere plures sunt, nec hoc loco recenseri  
possunt, sufficiat me debuisse, & exiguo hoc munusculo meam erga  
VV. MM. & AA. reverentiam & debiti animi significationem  
ex parte declarasse. Accipite Viri Magnifici & Amplissimi levi-  
dente hoc munusculum animo benevolo, mihi, ut favetis favete.  
Rostochij 8. Julij An. 1635.

VV. MM. & AA.

Observantiss.

Joachimus Eufow.



# Cum bono Deo.

## Proœmium.

**D**E dotibus variæ variarum gentium reperiuntur traditiones, Lycurgum & Solonem constat legibus suis cavisse ut virgines indotatas nubent, ne propter inopiam in nuptiis quædam relinquerentur nec locupletes pauperioribus præferri possent. Apud Græcos & Ægyptios mulieres indotatas fuisse palam est, Græci namque uxores inter se emerunt, Ægyptij adeo dotes averfati sunt, ut viri, qui dotes accepissent, velut mancipia uxoribus adducerentur uti videre est passim apud *Plutarch. in vit. Solon. Justin. lib. 3. & Alexandr. ab Alexandr. 4. gen. dier. 4.* contra verò de alijs dicitur, quod majorem habuerint dotium curam; Cypris enim in more positum fuit, virgines dotalem pecuniam quæsituras, ante nuptias statutis diebus in quæstum ad littus maris mittere. De Lydiorum filijs fertur quod Veneri eousque operam dederint donec dotem ex mercede collegissent *Herod. lib. 1. Justin. lib. 18. Pold. Virgil lib. 1. de rer. Invent. c. 4.* Romani quoque confidentantes expedire Reipub. mulieres esse dotatas, dotis constitutionem necessariam judicarunt, fuit namque apud illos lege cautum ut si mulier viro in manum conveniret, omnia quæ mulieris fuissent viro dotis nomine accederent teste *Alex. ab Alex. d. l.* proditumque est populum Romanum Scipionis & Curij filias, quod ob tenuem rem familiarem pro natalibus nubere non possent, de publico dotasse. Nostro hoc seculo usitatissimæ noa tantum sunt dotes sed & eò prohdolor deventum est ut curiosius de dote quam nubentium moribus agi soleat, ut pene verum esse possit quod ille jam olim apud Plautum affirmavit.

*Hic inquit cum mala fama facile nubitur.*

*Dum dos sit, nullum vitium vitio vertitur.*

Verum cum hæc materia dotium non infima pars sit juris nostri civilis ut innumeri hoc adprobant ff. C. & Novellarum tituli, cumque frequens, illiusq; cognitio & hodie longe utilis sit & necessaria, adprobante hoc quotidiana experientia, imo cum variæ ac discrepantes in illa doctorum reperiantur sententiæ teste Obrecht. non abs re me facturum putavi si nobilissimam hanc materiam paucis percurrerem, eamque positionum vel thesium habitu indutam disputationis incudi subijcerem. Jacta est alea rem ipsam aggredi fas est, si prius dixerò me pro ingenij tenuitate quatuor membris omnem hanc materiam quam brevissime absoluturum; prius erit de Dotis nomine definitione & divisione, alterum de dotis constitutione, tertium de constitutæ & acquisitæ dotis natura, ultimum de dotis repetitione Deum ter Opt. Max. humiliter veneror, ut parvulam ingenij mei ratem divinæ gratiæ favonio adjuvet.

### *Membrum I.*

*De Dotis Nomine, Definitione & Divisione.*

#### POSITIO I.

**D**otis vocabulum sumitur vel propriè vel impropriè; Impropriè primo denotat illud quod nobis præcipuum sive à natura sive ab hominibus concessum est, unde Lea cum aliquando parere desuisset, & tamen Dei beneficio nihilominus sextum filium ex Jacobo peperisset, inquit: dotavit me Deus dote bona, & Ovidius canit: Ornata est, dotes exhibet ipsa suas, & in hoc sensu corporis animique virtutes dotes solemus appellare.

2. Eodem ferè modo Jcti dotes prædiorum dixerunt in l. 2. §. 1. l. Seja 20. §. 1. ff. de instr. vel instrum. legat. & ferraamenta aliaque instrumenta agri causa reposita intelligunt.

3. Item hoc sensu dos dicitur quod datum est Ecclesiæ ab aliquo ædificatæ, vel altari ab aliquo constituto pro ejus Ministro vel sacerdote, qui quasi maritus onera ejus in administrandis sacramentis & celebrandis sacris sit subiturus.

4. Pro-

4. Proprie vero & stricte in re matrimoniali usurpatur & significat id, quod à muliere marito datur ob causam matrimonij. Germanice die *Easteren* / *B. autschah* / *der Frauen Einbringens* oder *Witgute*.

5. Et in hoc posteriori significato varie ab Interpretibus nostris definitur, ego, missis aliorum traditionibus, dotem cum *Cujac. Azon. Zaf. Quaron. Dorch.* & alijs definio quod sit pecunia à muliere vel alio ejus nomine, ad sustinenda matrimonij onera, marito data.

6. Et per pecuniæ vocabulum, præsertim generale cum illud sit & ad omnia referri possit, quæ in patrimonio nostro sunt; *l. rei appellatio §. l. pecunia 222. de V. S.* rectius definiri puto, quam si cum *Bart. Mult. Zaf. Alex. de Imol. & alijs nonnullis* dicerem quod esset Jus.

7. Primo enim in jure nostro passim dos tradi. *l. de divisione §. ff. solut. matr. dari, l. 17. §. fin. ff. de reb. auct. jud. possid. numerati, l. si pater 41. ff. solut. matr. vindicari, &c.* dicitur quæ de juribus seu re incorporali verè prædicari non possunt, deinde dotis actio, non juris uxorii, sed rei uxoriæ ab Imperatore est appellata.

8. Nec quicquam facit quod dicitur aliud esse dotem aliud rem in dotem datam idque inde constare quod res in dotem dari, sæpius in jure nostro dicatur; Nam dotis vocabulum ut in jure nostro plerumque ipsam rem *l. si pater 41. in pr. ibi dotem numeravit. ff. solut. matr. l. 24. ff. de jur. dor.* sic aliquando rei qualitatem, *l. 4. l. 46. in pr. ff. h. t.* aliquando titulum & causam transferendi significat *l. 1. ff. C. pro dote.*

9. Vulgatissima dotis divisio est quod alia sit Profectitia a-  
lia Adventitia; & licet à *Bachovio & Vulrejo* improbetur, quasi totū genus non exhauriet, ut loquitur *Bachovius*, nec dotem quam ipsa dat mulier comprehenderet, non immerito tamen eam defendendam censeo, adventitiam enim ejusmodi dotem esse & dici, non obscure innuit *Vlpianus in l. profectitia §. §. si pater 11. ff. de Jure dot.*

10. Profectitia dos est quæ à patre mulieris, vel avo aut proavo ejus paterno de bonis & facto ejus constituitur. *l. 5. in princ. & §. 9. ff. l. h. C. h. t.*



11. Nec refert, utrum parens filiam in potestate habeat nec ne, nam dos etiam filiā emancipatā à patre data profectitia dicitur, nec jus patriæ potestatis, sed parentis nomen dotem profectitiam facit ut loquitur Jcti Ulpianus *in d. l. profectitia 5. §. si pater 11.*

12. Sic parum quoque refert, an parens ipse dederit dotem, an alius ejus nomine vel jussu, nam sive pater dederit, sive Procurator ejus, sive jussit alium dare, sive cum quis dedisset, negotium ejus gerens, parens ratum habuerit, profectitia dos est. *d. l. profectitia 5. §. 1.*

13. Unde dicendum, si curator furiosi, aut prodigi, aut cujusvis alterius qui rebus suis superesse nequit, pro filia ejus dotem dedit, similiter profectitiam esse *d. l. 5. §. sed etsi curator 3.* Sicut & eam profectitiam appellamus quam Prætor vel Præfes provinciæ ex bonis captivi patris constituit. *d. l. 5. §. sed etsi proponas.*

14. Plurimum vero refert an dos à patre tanquam à patre profecta sit, nam si filiā dotem dederit non quasi pater sed quasi debitor, dos profectitia non vocatur. *d. l. 5 §. si pater non quasi 6.*

15. Hinc jam facile dignosci potest quid sit dos Adventitia, ea sc. quæ non à patre ipsius mulieris vel avo aut proavo paterno proficiscitur, sed quam vel ipsa mulier vel quivis ejus nomine constituit.

## Membrum II. De Dotis Constitutione

*Ex i. de his qui dotem constituunt.*

16. Sequitur jam de dotis constitutione ubi quadruplex nobis occurrit inspectio, una de his qui dotem constituunt, altera de rebus quæ in dotem dantur, tertia de modo constituendi dotem, quarta de actione qua dos constituta & nondum tradita peti potest.

17. Quod illos qui dotem constituunt concernit, generaliter sciendum promittendo dotem omnes obligari cujuscuque sexus conditionisq; sicut *l. promittendo 41 ff. de jure dot.*

18. Ergo primo dotem recte constituit ipsa mulier, ex suis scilicet

scilicet bonis seu peculio cujus administrationem habet *l. si filia, familias 24. de Jur. dot.*

19. Deinde pater quoque dotem constituit pro filia sua; verum cum omnes filia ejusdem non sint conditionis, nam alia sunt naturales & legitimæ, eaque vel in potestate adhuc constitutæ vel emancipatæ, alia naturales tantum, alia legitimæ tantum, ideo quid juris in singulis ordine videbimus.

20. Et primo si filiam naturalem & legitimam habet pater, eamque in sacris paternis constitutam, dotem ipsi non modo recte constituit, verum etiam si dare recusat, per Magistratum ad hoc compelli potest, *l. capite 19. ff. de rit. nupt.* paternum namque officium est, dotem dare pro sua progenie, unde si filius familias mutuum pecuniam acceperit ut eam pro sorore sua in dotem daret pater de in rem verso tenetur. *l. 17. De Sch. Macedon.*

21. Idque etiam eo casu verum est, quo filia secundum matrimonium contrahit, interest enim patris filias iterum dote constituta elocari, ne maximo cum generis & familiae dedecore turpem & ignominiosam vitam eligant. *Novell 97. c. 5.*

22. Unde non immerito Conani rejicitur sententia existimantis patrem cogi quidem posse, ut filia conditionem quaerat, at non ut dotem tribuat, ad utrumque enim obligatum esse patrem expressi juris textus evincunt. *d. l. capite 19 ff. de R. N. l. fin. C. de dotis promiss. d. Novell. 97. c. 5.*

23. Verum an idem obtineat in filia locuplete? non æque inter omnes constat, ego contra *Duuren. Vasq. & alios* affirmantium castra arripienda puto cum *Menoch. Gail. Mynsing. Bocer. & Treutl.*

24. Quid si filia infcio & invito parente, marito tamen digno nupterit, namquid pater eam dotare tenetur? ita quidem *Dd.* communiter sentiunt, verum jure civili recte inspecto, magis negandum existimo, patrem sc. ad hoc non teneri, *§. sed si adversus ea Inst. de Nupt. arg. Novell. 115. c. 3. §. si alicui.* nisi vsque ad

25. annum nuptias filia distulerit, nam & tunc dotare tenetur filiam licet turpiter illa & inhoneste vixerit, intelligitur enim

100

non sua culpa sed parentum id accidisse, ut loquitur sacratissimus noster Imperator Justinianus *Novell. 115. c. 3. Si alicui.*

25. Quid si filia sit hæretica, an pater eam dotare tenetur? Negativa juri conveniens est, Hæretici enim ab omni beneficio repellendi, *l. 19. C. de Hæret. & Manich.*

26. Si vero pater filiam in potestate non habet, sed eam emancipaverit de juris necessitate talem dotare non tenetur, quia jam quasi extranea persona videtur, *arg. l. si patr. 44. ff. de jure dot. d. l. capite 19. ff. de R. N. l. 31. §. 1. C. h. r. l. uni. §. 13. C. de rei uxor. act. nisi inops illa sit & aliunde dotem non habeat, neque sine dote conditionem invenire possit, tunc enim patrem, ut dotem ille det, Magistratus officio cogi posse facile concedam, *arg. l. si quis 5. §. 1. ff. de Agnos. & alend. liberis.**

27. Pater legitimus filiam suam adoptivam jure veteri dotare debuit, & hoc propter patriam potestatem, quia generaliter dictum erat: qui in potestate filias habent, dotare eas tenentur, verum cum hodie ex constitutione Justiniana liberi adoptivi in adoptantis potestatem regulariter non transeant, non immerito dubitatur, an adhuc idem obtineat? Negativam de jure veriore autumo *arg. d. l. capite 19. ff. de R. N.*

28. Restat dicere quid juris in filia naturali, ex concubina sc. suscepta, an & hanc pater dotare teneatur? affirmantium partes eatenus sequor, quatenus filia naturalis plane sit inops, tunc enim ex bono & æquo dotem ei constituere tenetur pater, *arg. l. Humanitatis 8. C. de Naturalib. lib. arg.*

29. Filia ex damnato coitu nata de jure civili à parente non est dotanda, cum eo jure ne alimenta quidem ei debentur, *Novell. 89. r. 15.* verum quia jure Canonico aliud est constitutum, in judicio Camerali conclusum est patrem ejusmodi filiam moderatè dotare posse attestante, *Gulio 2. obs. 88.*

30. Quod de patre dictum est, idem quoque de avo paterno exaudiri debet, nam & hic neptem suam quam in potestate habet dotare tenetur. *l. 6. de collat. l. 9. §. 1. C. de hæretic.* licet pater dives sit & dotem filix dare possit ut putat Bocer contra Dd. communiter, quorum opinio tamen hodie de consuetudine magis obtinet.

31. Sequitur quid juris in matre anne & illa filiam suam dotare teneatur? & sciendum matrem de juris necessitate ad hoc non teneri, adeo ut ne quidem pater ex bonis maternis dotem assignare possit *l. 34. ff. l. neque mater 14. C. de Jure dot. nisi penitus inopiâ pater prematur. l. fin. vers. ubi C. de dot. promiss.*

32. Fallit tamen si magna & probabilis causa id suadeat, vel causa lege expressa ad sit, tunc enim & matrem cogi posse ut dotem det expressi juris est *d. l. neque mater. C. de Jure dot.*

33. Magna & probabilis causa ut post alios notat *Salicet.* est patris vel etiam filiae, mortuo patre inopia, si quidem locuples fuerit mater & filia dote carens nuptum locari nequiverit, *arg. l. 5. §. 2. ff. de agnosc. vel al. liber.* At causa, quæ il. specialiter debeat esse expressa, inter alios hæresis est, mater enim hæretica filiam orthodoxam omnino dotare cogitur ut expresse constitutum est, *in l. 19. C. de Hæret. & Manich.*

34. Frater quoque dotem recte constituit sorori suæ, verum an ad hoc sit obstrictus non immerito quæritur? Affirmo si frater sit eodem patre natus & is dives fuerit, soror vero paupertate prematur *gloss & DD. in l. cum plures 12. §. cum tutor. 3. per illum. 2. extum. ff. de admin. & peric. tutor.*

35. Sic quoque de filio quæritur, an & ille sit obstrictus dotare matrem suam? & sanè si frater sorori egenti dotem dare cogi debeat, filium quoque hoc casu cogi posse existimo ut matris adhuc juvenis pudori & existimationi consulat, *secundum æquitatem l. 1. C. de alendis lib. & parente.*

36. Denique Curatores nubentibus pro modo facultatum & dignitate puellarum & maritorum dotes constituere debent, *l. cum post 69. §. nuptijs 5. ff. h. t. l. quæro 60. ff. eod. l. in generalis 61. in pr. & §. 1. ff. eod. non tamen ut superiores, nam illi de suis, hi vero de puellarum nubentium bonis dotem constituunt.*

37. Sic & quilibet alius imo plane extraneus dotem constituere potest & ex promissione firmiter obligatur, & quia ejusmodi constitutio omni fere casu voluntaria est, fit ut in dubio donata censeatur, *l. uni. §. 13. C. de rei uxor. act.*

38. Et tantum de personis, sequitur jam altera inspectio de rebus

B

rebus sc. quæ in dotem dantur, & harum consideratio duplex est, una de quantitate, altera de qualitate.

37. Qualitatem quod attinet possunt in dotem dari res tum mobiles, vel immobiles tum corporales vel incorporales ut sunt hæreditas ususfructus & similia jura, l. 42. ff. l. 17. l. 30. C. b. t. l. 4. ni. §. 7. C. de rei ux. act. l. 2. C. de oblig. & act. 2. Feud. 17.

40. Item possunt in dotem dari non tantum res propriæ, sed & alienæ, l. 6. §. 1. l. 81. ff. b. t. ita ut usucapiendi conditio in maritum transferatur.

41. Dantur quoque in dotem res vel æstimatæ vel inæstimatæ, quarum tamen hæ proprie dotales à Justiniano appellantur l. unic. §. cum lex Julia 15. vers. in fundo autem. C. de Rei uxor. act.

42. Et si in æstimatione circumventa fuerit mulier, rescissâ illâ electio datur marito ut vel rem ipsam vel justam ejus æstimationem præstet, nisi res perierit, nam hoc casu non justam sed eam, quæ facta est, æstimationem præstat maritus. l. 12. §. si mulier. ff. de Jure dot. l. si circumscripta 6. C. solut. matr.

43. Similiter si maritus in æstimatione se gravatum alleget, veritate examinata, non amplius quam justum pretium debet. l. si circumscripta vers. sin autem etiam maritus.

44. Non possum omittere hoc loco quæstionem illam factis celebrem, an Vasallus feudum suum in dotem dare possit? Negativam in Camera receptam esse testatur *Mynsing. 4. observat. 68.* eamque ut regulariter veriore sequor, alias vero ut in fructibus feudi dotem constituere Vasallus non prohibebitur, sic neque mulier prohiberi potest proprium in dotem dare *feudum. 2. Feud. 13. & 17.*

45. Quantitatem quod attinet constituitur dos vel definite vel indefinite, definite cum certa species datur, vel quantum dotis nomine constitui debet, partium conventionem exprimitur, veluti cum mulier omnia sua bona marito in dotem dat.

46. Utrum vero omnia uxoris bona ad maritum allata in dubio censeantur dotalia, anceps & valde intricata est quæstio. Negativam amplector cum *Gail. VVesenberg. Treutl. & Bocser.*

47. Quod

47. Quod si mulier circumventa ultra vires patrimonij, vel totum etiam patrimonium in dotem dederit, vel rem minoris aestimaverit, aut quoquo modo deteriore dotis conditionem fecerit, succurritur illi sive minor sive major 25. annis fuerit, l. si ex causa 9 §. 1. l. 48 §. 2. ff. de Minorib. 25. ann. l. 6 §. 2. l. 12. §. 1. ff. h. t.

45. Mulier liberos habens non potest totam suam substantiam marito in dotem erogare l. haec dicit ali 6. C. de secundis nupt. l. unie. c. de inof. dot.

49. Indefinite dos constituitur cum non demonstratur nec exprimitur certa species seu quantitas dotis.

50. Et an valeat eiusmodi indefinita dotis promissio, maximopere inter Dd. controversatur, sunt qui simpliciter eam valere asserunt ut Cujac. Bronch. Arum. sunt alij qui in persona patris tantum valere existimant, ut Duaren. Vvesenbec. Bocer. alij excepto casu quo ab ipsa muliere dos promissa est eam valere volunt inter quos est Conann. Ego hac vice pro virili priori opinioni ut communi inhaerere constitui, per l. quæro 60. l. cum post 69. §. gener. 4. ff. de Jure dot. ita ut quoties hoc casu de dote constituenda controversia sit, res arbitrio boni viri vel Judicis, secundum personarum qualitatem & dotantis facultates pensanda sit. l. 3. C. de dot. promiss. d. l. 69. §. 4.

51. Constituitur vero dos vel inter vivos vel in ultima voluntate.

52. Inter vivos olim constituebatur solenni dotis dictione, quæ non nisi verbis certis & solennibus nulla interrogatione precedente, atque à certis duntaxat personis peragi poterat Vlpian. in frag. tit. 7.

53. Hujus tamen dictionis in jure nostro Justiniano nulum superest vestigium attestante Vultejo, sed vel in desuetudinem abiit ut vult Ritterh. vel expressa quadam constitutione est abrogata, ut Cujac. & communiter volunt Dd.

53. Hodie itaque inter vivos dos recte constituitur, vel stipulatione vel pollicitatione vel pacto, ad exactiorem enim dotis quam semel præstari placuit, qualiacunque sufficere verba

ensemus inquit Imp. Theodor. & Valentinian. in l. 6. c. de  
dot. promiss.

55. An vero ejusmodi pactum, quod de dote hodie absq; sti-  
pulatione fit, legitimum sit pactum an vero contractus seu con-  
ventio cum causa? acerrima inter Dd. est controversia, & licet  
Donell. Conann. & multi alij posterius affirmant, prius tamen mihi  
arridet cum Vult. & Bachov. propter d. l. 6. C. de dot. promiss.

56. Traditione quoque dos non tam constituitur quam  
revera datur, idque vel naturaliter vel civiliter; Naturaliter cum  
res ipsa verè traditur marito; ut eam in dotem habeat.

57. Civiliter dupliciter dos constituitur; uno modo si  
maritus dote ab alio promissa eam pro accepta habeat, promiss-  
forem sc. per acceptilationem aut nuda conventione liberando,  
l. promittendo 41 §. 2 & l. licet 43. ff. h. t. altero si dote à debitore mu-  
lieris promissa per maritum factum sit quo minus tempestive  
promissam exigeret & inter moram promissor solvendo esse  
desierit, vel species debita perierit, hoc periculum cum merito  
praestet maritus, fit ut videatur dotem accepisse. quam non acce-  
pit, l. si extraneus 33 l. si is qui 56. ff. de jur. dot.

58. Ultima voluntate dos constituitur, cum quis in testa-  
mento suo vel codicillis mulieri, vel pro ea eius marito dotem  
relinquit, ubi speciale quidam hoc adducunt quod dote relicta  
inter alia legata, si postea clausula diminutiva legatorum ap-  
ponatur ea ad legatum dotis referri non debeat, p. l. 18. §. 3. ff. de  
Aliment. & cibar. lega de cujus veritate tamen in ipso conflictu si  
occafio dabit videbimus.

59. Restat qua actione dotem constitutam & nondum  
traditam maritus persequi possit, & sciendum quod habeat  
actionem ex stipulatu vel hypothecariam, adversus etiam ex-  
traneum qui dotem constituit vel promissit. l. unic. §. 1. C. de rei  
uxor. action.

60. Dos vero semel constituta seu promissa tunc demum  
recte dos dicitur & actione peri potest, si matrimonium fuerit  
subsecutum, nam licet matrimonium sine dote contrahi possit,  
dotem tamen sine matrimonio nunquam subsistere posse ex-  
pressi juris est l. dot. 13. ff. de jur. dot.

61. An

61. An vero ob dotem promissam & nondum præstitam maritus uxorem repudiare & domo expellere possit, quærent Interpretes? Negativa verior est.

### Membrum III.

#### De Dotis natura.

62. Et tantum de dotis constitutione, sequitur jam de constitutæ & acquisitæ natura.

63. Primo de natura dotis est, quod fructus ejus summa æquitatis ratione lucratur maritus, ut in sustinendis matrimonij oneribus sublevetur. *l. 7. l. 10. §. 3. ff. h. t. l. unico § 9. C. de rei uxor. act.*

64. An vero ultra dotis emolumentum in uxorem teneatur impendere iterum quæstionis est? Et impium pene esset de hoc dubitare propter autoritatem divinarum literarum *Genes. 2. vers. 23. & seqq. Ephes. 5. vers. 28. & seqq. nisi & id Interpretes nostri in dubium vocassent inquit Treutler. cum quo tamen & maritum quoque de jure civili ad hoc teneri existimo. per l. 13. C. de Negot. gest.*

65. Deinde & hoc de natura dotis est ut illa constante matrimonio regulariter apud maritum remaneat, unde difficillima vicissim & intricata satis exoritur quæstio, quis igitur constante matrimonio dotis sit Dominus maritus an uxor?

66. Salvo aliorum judicio, dico dotis jam constitutæ & traditæ dominium transferri in maritum & hunc dotis dominum esse, non quidem juris *ut existimat Vultrejus*, sed ipsius rei dotalis, nam ipsius rei habet vindicationem, *l. doce ancillam 9. C. de rei vindicat. res in dotem data ipsius effici; l. dotis fructum 7. §. 3. ff. h. t. rei dotalis dominium marito quæri, l. 13. §. 2. ff. de fund. dot. & dotis datione dominium mutari dicitur. §. per traditionem 41. in fin. Inst. de rer. divis.*

67. Sciendum tamen per legum magis fictionem & interpretationem id obtinere, quam in rei veritate, idque propter exercitum actionum & administrationem bonorum dotalium

B ;

qua m



quam lex ei imponit constante matrimonio, tum etiam propter opera matrimonii, cum & propterea totius dotis fructus ipsius lucro sint. *l. de his u. C. de jure dot. l. doce ancillam 9. C. de rei vindicat.*

68. Hinc constat à dominio rei dotalis non plane excludi mulierem, nam & hæc quoque constante matrimonio dotis domina est & dicitur, sic enim loquuntur juris textus: quamvis in bonis mariti dos sit, mulieris tamen est. *l. quamvis 75. ff. de jure d. ot.* item: res dotales & ab initio uxoris fuerunt & naturaliter in ejus permanent dominio, non enim quod legum subtilitate transitus earum in patrimonium mariti videatur fieri, ideo rei veritas deleta vel confusa est, *l. in rebus 30. C. de jure dot.*

69. Sic itaque Maritus est & habetur legis autoritate & fictione juris dotis Dominus, uxor vero in rei veritate est & permanet domina.

70. Porro natura dotis hæc est ut res aliæ permutatione in dotem substitutæ, sive ejusdem sive diversi generis sint, dotales efficiantur. *l. 26. l. 27. l. 54 ff. h. t.*

71. Sic quoque nonnullæ accessiones rei dotalis inæstimatæ, puta partus ancillæ, *l. 69. §. fin. ff. h. t. l. 10. §. 2. eod. tit.* thesaurus à marito in fundo dotali inventus pro parte dimidia, & reliquæ accessiones quæ in fructu non sunt, dotales efficiuntur. *l. 7. §. 12. ff. soluto matrim.*

72. Dotis quoque natura hæc est, quod maritus illam inæstimato datam alienare nequeat, maxime si res soli sit. *pr. Inst. quib. alien licet vel non.*

73. Verum quid juris in rebus mobilibus? *Azo Hotom. m. Bachov. & alij* putant maritum posse rem mobilem in dotem datam alienare idque probant manumissione servi dotalis, *l. 5. §. 2. ff. de suis & legitim l. 3. C. h. t.* quam invalidam putarunt illi si marito jus alienandi non competeret, verum æquior & verior mihi videtur *Bart. Cujac. Costal. & Treutl.* sententia qui rerum mobilium alienationem præsertim illarum quæ servando servari possunt marito denegant, nec obstat dicta manumissio servi dotalis, nam singulare illud est, & specialiter constitutum, maritum, modo is solvendo sit, propter favorem libertatis dotale

tale mancipium manumittere posse *l. i. C. de serv. pign. Dator. l. 27. ff. de Manumiss.*

64. Sic quoque de natura dotis est, quod in ea inæstimato data maritus dolum & levem culpam præstet, *l. contractus 23. ff. de R. I. fin vero æstimato data est etiam periculum ejus sustineat, l. uni. §. 9 in f. C. de rei ux. act.*

75. Periculo quoque ipsius mariti sunt res in dotem datæ quæ pondere numero vel mensura constant, quia in hoc dantur ut eas maritus ad arbitrium suum distrahat & soluto matrimonio ejusdem generis & qualitatis alias restituat. *l. res in dotem 42. ff. h. t.*

---

## Membrum IV.

### De Dotis repetitione.

76. Reliquum jam est ut de dotis repetitione paucis quoque videamus, ubi tria potissimum consideranda veniunt, primo tempus quo dos repetitur, secundo personæ quæ repetitur, tertio qua actione dos repetitur.

77. Tempus quod attinet generaliter sciendum, quod dos repetatur vel soluto matrimonio vel etiam interdum constante illo.

78. Soluto matrimonio si res sit immobilis, statim ea restituenda est si vero mobilis intra annum tantum *d. l. uni. §. cum autem 7. C. de rei uxor. action.*

79. Constante matrimonio dotis repetitioni locus est, quoties necessitas & utilitas dotis illud exigit, veluti si maritus ad inopiam vergat. *l. ubi 29. C. de jure dot. l. si constante 24. ff. solut. matrim.*

80. Et dicitur Maritum vergere inopiam, quamprimum apparuerit ipsius facultates ad exactorem dotis non sufficere, apparebit autem hoc evidenter ubi maritus male cœperit uti sua substantia & alijs quibusdam casibus quos annotatos vide apud *Br. Gail. & Rittersh.*

31. Et

81. Et licet apertissimi juris sit, uxorem illo in casu etiam constante matrimonio dotem repetere posse, tamen mulier ex tunc non habet licentiam alienandi eas res vivente adhuc marito, sed fructibus tantum earum rerum abuti potest ad sustentationem sui & mariti & communium filiorum ut singulariter hoc annotavit Imperator Justinianus *in d. l. ubi 29. C. de jur. dot.*

82. Hinc non absurdi sunt illi, qui marito ad meliorem frugem & pinguiorem conditionem redenti, dotem restitui debere contendunt, *ut docet Gail. Treutl. & Bach.*

83. An vero & constante matrimonio dotem repetere possit illa uxor, quæ scienter viro nupsit obarato, non una est omnium sententia; ego cum illis facio qui in casu etiam scientiæ mulierem, ob mariti hanc conditionem, dotis repetitionem habere asserunt, tum quod maritus ne quidem consentiente uxore dotem alienare queat, *L. unic. §. & cum lex Julia 15. C. de rei uxor. action.* tum etiam quod fragilitas mulieris ipsi incommodum dotis adferre non debeat, *Novell. 97 c. 3. vers. volumus igitur.* tum denique quod Reipub. interfit salvas esse mulierum dotes. *l. 2. ff. de jure dot. l. 1. ff. solut. matr.*

84. Non omittenda hoc loco & illa controversia: Num si de jussor qui pro dote conservanda sponte à marito mulieri offertur admitendus sit & obligetur? Affirmant hec *Conan. Duar. Hotom. Bronch. & alij quam plurimi* Negant vero *Cujac. Gædd. Hering. Fach. Arum.* quibus non immerito adhaerendum censeo.

85. Deinde constante matrimonio aliquando dos repeti potest quoties alia justa & honesta causa id requirit, veluti ut mulier æs alienum solvat, vel prædia idonea emat, vel liberis egentibus aut fratribus aut parentibus consulat, vel eos ex hostibus redimat, *teste Juriscons. Paulo. in l. quamvis 20. ff. solut. matrim.*

86. Repetit autem dotem si ea profectitia sit parens uxoris demortuæ, *l. jure succursum 6. in pr. ff. de jure dot. l. si filia emancipata 5. ff. de divorc.* Verum an idem quoq; obtineat si uxor superstites reliquerit liberos, admodum difficilis est quæstio & non tantum inter veteres, sed & recentiores juris Interpretes satis agitata; Ego cum *Anton. Fabr. Bronch. & alijs* hoc casu dotem penes maritum

tum remanere existimo arg l. 3. §. ergo 5. ff. de Minorib. l. illam 19. C. de  
Collationib.

87. Adventitia vero Marito superstiti antiquitus relinque-  
batur nisi is qui dedit dotem pactus vel stipulatus fuerit sibi red-  
di, nam & hoc casu is qui dedit repetitionem ejus habet *Vlpian.*  
*In fragm. tit. 7. §. adventitia l. uni §. 13. C. de rei uxor act.*

89. Quod si mulier ipsa dotem dederit, eamque sibi reddi a  
viro stipulata sit, ut de ea testari possit, heredes mulieris nihilo-  
secius eam reperendi potestatem habent, l. si mulier 25. ubi *Dd. C.*  
*de jure dot.* quinimo licet non caverit sibi reddi, tamen ad here-  
des ejus pertinet, nisi actum sit ut maritus dotem lucraretur,  
l. si socrus tua 18. C. de Jure dot. l. uni §. 6. C. de rei uxor. action.

90. Quod si morte mariti vel divortio matrimonium sit  
solutum, parens uxoris ea consentiente ut profectitiam sic & ad-  
ventitiam dotem repetit vel ab ipsomet marito vel ejus hæredi-  
bus l. 2. §. 2. l. 3. l. si cum dotem 22. §. eo autem tempore 5. ff. solut. marr.

91. Extraneus vero si adventitiam dotem sibi reddi stipu-  
latus, vel pactus sit, ipse quoque repetit eam, quoties morte ma-  
riti aut divortio matrimonium est solutum l. uni §. accedit ei C. de  
rei uxor. action.

92. Aliquando tamen ne soluto quidem matrimonio dos  
repeti potest quoties sc. culpa mulieris matrimonium dissolva-  
tur, ut si mulier adulterij rea sit, hoc enim casu penes maritum  
remanet non solummodo dos ab uxore data, sed & adventitia  
quam sibi extraneus reddi non curavit, l. 3. §. 4. C. de Repud. Novell.  
117. c. 8 l. si dotem 24. C. de jure dot.

93. An vero & ob osculum luxuriosum dotem amittat mu-  
lier, non inconcinne hic quæri solet? Negativa probabilior &  
æquior est per ea quæ tradit *Menoch. de arbitr. Judic. quæst. cas. 287.*  
*num. 8.*

94. Tandem actionem quod attinet, qua dos repeti po-  
test, distinguendum inter extraneum & ipsam mulierem ejusque  
parentem.

95. Extraneus dotem adventitiam repetit vel actione ex  
stipulatu si stipulatus sit à marito sibi dotem reddi, vel actione  
præscriptis verbis si cum daret marito dotem, pactus sit il-  
lam

C

lam

Iam sibi reddi. *l. avictus 6. C. de jure dot. l. unio. §. accedit ei C. de rei uxori. act.*

96. Ipsa vero mulier vel ejus parens in cujus potestate est, actione ex stipulatu repetunt dotem, siue stipulatione sibi cave- rint dotem reddi, siue nulla stipulatio super hoc intervenerit, translata scilicet rei uxoris actione in actionem ex stipulatu, *d. l. 6. C. h. t. cum similibus.*

97. Notandum tamen quod, quoties de dote in judicio mulier agit, maritus solum condemnetur in tantum, quantum facere potis est, h. e. quatenus facultates ejus, patiturur, itaque si dotis quantitati concurrant facultates ejus in solidum damna- tur, si minus, quatenus facere potest. Quod adeo verum est ut pactum etiam in contrarium non sit admittendum, secundum Pomponij & Ulpiani sententiam in *l. 14. §. ff. solut. matrim.*

98. Sic notandum quoque mulierem habere privilegium tacite hypothecæ in omnibus mariti bonis, quæ tacite ex juris dispositione hypothecata sunt uxori agenti pro restitutione do- tis, & quotiens illa concurrit cum alijs mariti creditoribus eo- dem hypothecæ tacite jure gaudentibus regulariter præferri omnibus etiam anterioribus, *l. assiduis 12. C. Qui. potiores in pignor.*

99. Quæritur autem an mulier præferatur quoque mariti creditoribus expressam anteriorem hypothecam habentibus? Et est ambigua hæc & magni ponderis quæstio ut videre est ex *Mynsing Guil & alijs.* Veritati tamen proximior judicanda erit af- firmantium opinio, tum per textus generalitatem, tum quod il- la post multam disputationem in Camera Imperiali obtinuisse dicitur uti refert *Mynsing 4 observat. 13.*

100. Idem quoque adprobat jus nostrum Lubecense, modo tamen mulier ex marito liberos non susceperit, nam si liberi ad- sunt, mulieri reliqui omnes præferuntur creditores, quod licet durum satis videatur, in hisce tamen terris in viridi est observa- ta. Et tantum de nobilissima hac materia pro temporis & instituti ratione tractasse sufficiat; puppim itaque hic sisto & vela contraho.

DEO SIT LAUS HONOR ET GLORIA.



*Ne quid spatij remaneret, placuit adiscere sequentia  
ex Jure Publico desumpta Corollaria.*


1. **A**N vivo Imperatore Rex Romanorum eligi possit quæstio est non ignobilis & satis nota propter electionem Ferdinandi I. de qua Schleid. lib. 7. in fin. Qui negativam amplectuntur, adducunt textum ex A. B. tit. 1. §. wann es aber dazu kommen ist / & tit. 4. §. ferner so offit ubi dicitur quod novus Rex sit eligendus quoties sacrum Imperium vacare contigerit. 2. E re Imperij haud esse putant, si ejusdem summa penes duos fuerit. Verum his & similibus non obstantibus affirmativa magis arridet sententia, Quod sc. etiam vivente Imperatore si justa subsit causa & ipsius Imperatoris consensus interveniat Rex Romanorum eligi possit, idque potissimum propter duas hasce rationes 1 propter text. in A. B. tit. 5. in pr. ibi: wie offit vnd wann es zu künfftigen zeiten Noth sein wird zu erwählen einen Römischen König zum Kayser zu machen / 2. quæ verba generalia cum sint, ad casum mortis aut depositionis tantum restringi posse, non facile dixerim. 2. Quia hanc sententiam exempla confirmant historica; & ut reliqua taceam ipse Carolus IV. A. B. author & optimus Interpres suo exemplo docuit etiam vivo adhuc Imperatore alium Regem Romanorum eligi posse, dum ipsemet salvus & incolumis Venceslaum filium suum Regem Romanorum, creari nimis sollicitè curaverit, ut præter alios attestatur Cuspinianus in vita Vencesl. IV. Sic Carolus V. quoque obtinuit ut frater ipsius Ferdinandus sibi ad-

junge-

jangeretur & in Regem Romanum eligeretur uti constat ex Schledan. d.l.


2. Regem Bohemiæ eligendi jus habere sunt: qui vel omnino negant vel eo duntaxat casu admittunt quando paria sunt Electorum vota. Verum utramque hanc sententiam non immerito rejiciunt & improbant Arum. Bertr. Buxt. & alij. 1. per tex. in A. B. tit. 4. §. fermer ibi: Dasß ein König zu Bohemib vnter den weltlichen Churfürsten von Königlicher Würdigkeit vnd Rechtswegen billigt die eheste Frage behalte. 2. per text. in A. B. tit. 7. post princ. ibi: wann nun hin vnd wider offensbar vnd bey nahe der ganzen Welt kundlich / dasß die / 2c. 3. Per exempla quæ adducuntur passim à dictis authoribus.


3. Licet Rumelinus dicat: Nobiles liberos & imperio immediate subjectos inter status Imperij referendos esse, contrarium tamen tanquàm verius affirmarem, si vera sunt quæ Sixtin. tr. de Regalib. adfert, quod in matricula Imperij scripti non reperiuntur neque ad comitia Imperialia vocentur.











the scale towards document



maneret, placuit adijcere sequentia  
publico desumpta Corollaria.

operatore Rex Romanorum eligi pos-  
st non ignobilis & satis nota pro-  
dinandi I. de qua Schleid. lib. 7. in-  
amplectuntur, adducunt textum  
es aber dazu kommen ist / & tit. 4. S.  
itur quod novus Rex sit eligendus  
erium vacare contigerit. 2. E re  
tant, si ejusdem summa penes duos  
& similibus non obstantibus affir-  
sententia, Quod sc. etiam vivente  
subsit causa & ipsius Imperatoris  
at Rex Romanorum eligi possit, id-  
propter duas hasce rationes 1 propter  
pr. ibi: wie oft vnd wann es zu künfftig  
wird zu erwählen einen Römischen König  
/c. quæ verba generalia cum sint, ad  
epositionis tantum restringi posse,  
. 2. Quia hanc sententiam exem-  
prica; & ut reliqua taceam ipse Ca-  
rior & optimus Interpret suo exem-  
vo adhuc Imperatore alium Regem  
posse, dum ipsemet salvus & incolu-  
filium suum Regem Romanorum,  
tè curaverit, ut præter alios attesta-  
vita VVencesl. IV. Sic Carolus V.  
t frater ipsius Ferdinandus sibi ad-  
junge-